

/ Admodum R/de Pater in Christo dilectissime, Accepi literas R.  
V. datas Leodii die 23. Novembris, cum munusculis, cultello angli-  
cano, et parva theca ossea, nescio an eburnea, et tribus parvis den-  
tiscalpiis in ea inclusis. Nescio an ista missa sint ad usum, vel ad  
5 significandum aliquid. Utcumque sit, grata fuerunt in argumentum  
amicitiae, et fraternitatis.

Memoria Dñi Oliverii, viri optimi, sed tarde mihi cogniti, tris-  
titiam, vel dolorem potius non exiguum mihi attulit, sed non ob ip-  
sum, qui translatus est de mundo ad gaudia paradisi, sed ob multos,  
10 quos sine dubio ad bonam frugem convertisset, si diutius vivere per  
divinam providentiam ei licuisset. Sed beneplacitum Dei semper im-  
pleri debet, et nobis hoc ipsum pro<sup>æ</sup> omnibus rebus placere debet,  
ut Dei beneplacitum impleatur. Legi etiam libenter quae R.V. nar-  
rat in epistola sua de suis itineribus, de officio magistri novi-  
15 tiorum, de aedificio Leodii coempto, de visitatione Sereniss/i  
Principis, et R/mi episcopi Leodiensis Ferdinandi, et de promiss-  
ione applicandi collegio prioratum, si suo tempore vacare conti-  
gerit. In qua re perficienda, si opera mea utilis esse poterit a-  
pud Summum Pontificem, ea non deerit. De Domino Doctore Singletono  
20 multa audivi, et eum pro viribus defendi, quamdiu potui: sed prae-  
valuit factio illi adversa. Neque ego video qua ratione illi pro-  
desse possim in tanta locorum distantia, et praesertim cum ego su-  
spectus sim tanquam jesuita. Invidit diabolus concordiae Anglorum  
Duacensium cum Patribus Societatis, quam maximi faciebat pius Car-  
25 dinalis Alanus: sed omnibus modis tantanda esset iterum nova, et  
sincera amicitia, et consensio in doctrina, alioqui regnum in se di-  
visum desolabitur. Ego multis de causis nihil in ejus gratiam a me  
posse fieri libere dicam. Primum, ut dicere coeperam, quia suspec-  
tus sum, ut jesuita, deinde quia senex sum annorum septuaginta sep-  
30 tem, et in dies expecto resolutionem tabernaculi mei. Tertio, quia  
non possum excogitare rationem, qua illi prodesse possim. Commu-

/ nior enim ratio juvandi ejusmodi homines est collatio beneficio-  
rum ecclesiasticorum. Sed hic Romae tanta est multitudo ambi-  
um, et petentium ejusmodi beneficia, ut pene sit numerus infinitus.  
Neque soli sunt Itali, sed Hispani, Galli, Germani, qui Romae nihil  
5 aliud quaerunt, nisi beneficia. Ego ipse, qui tamen apud Pontifi-  
cem aliquid posse videor, pro uno Hispano viro optimo, et mihi ami-  
cissimo plusquam decem annos laboravi, ut bonum aliquod benefici-  
um illi obtinere possem in patria ipsius vacans. Idem dicere pos-  
sum de Flandris, vel Germanis amicis meis. Quid igitur fieret cum  
10 Anglis, in quorum patria nulla sunt beneficia ecclesiastica pro  
Catholicis? Sed quia res istae temporales, nihil sunt ad aeterna  
beneficia comparatae, non debet contristari D. Singletonus noster,  
si Dominus noster cum eo nunc agit, ut olim cum Apostolis suis e-  
git, quos per multas tribulationes in regnum coelorum ingredi vo-  
15 luit. Sed nolo prolixior esse, quia novi et illum, et Reverentiam  
vestram meis cohortationibus non indigere. Scio R.V./am laboratu-  
ram in legendis meis tam malis characteribus, sed P. Cophinus om-  
nino voluit, ut mea propria manu scriberem. His valeat R.V., et  
Singletoni, et totius collegii vestri precibus me commendet: sed  
20 ipsa R.V. praesertim pro nostra veteri amicitia, et fraternitate,  
me Domino Deo nostro diligenter commendet. Romae, die ipso natali  
Dñi, 25. Decembris 1619.

R.V.

frater, et servus in Christo

25

Robertus Card/lis Bellarminus.

Admodum Rev/do P'ri P'ri Joanni Tomsono e Societate Jesu Rectori  
Collegii Novitiorum Anglorum. Laeodium (cachet)